

MAYERVM & B. MVSÆVM in peculiaribus Dissertt. de peccato in spiritum s. quibus adde B. MICHAELIS FOERTSCHII, Considerationem Historico - Theologicam τὴς ἀσυγχωρήτης in peccato aduersus spiritum s. Mihi iam constitutum est, ea saltem hic persequi, quae ad accuratam exegesin loci nostri paullini immediate pertinent, & quae sufficienter ex eo possunt probari. In hac prima sectione cuiuscumque vocis ac phrasis sensum distincte explanabo; in altera peccati in spiritum s. indolem paulo accuratius delineabo, & sensum compositum totius dicti declarabo.

### §. II.

Sunt autem verba Apostoli Ebr. VI. 4. 5. 6. huius tenoris: v. 4. ἀδύνατον γὰρ τὸς ἀπαξ φωτισθέντας, γευσαμένος τε τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπεργανίας, καὶ μετόχος γενηθέντας πνεύματος ἀγίου, v. 5. καὶ καλὸν γευσαμένος θεῷ ὑῆμα, δυνάμεις τε μέλλοντος οἰώνος, v. 6. καὶ παραπεσόντας, πάλιν οὐακανίζειν εἰς μετάνοιαν, ὀνασαυρῶντας ἐκυτοῖς τὸν υἱὸν τῷ θεῷ καὶ παραδεγματίζοντας. v. 4. Impossibile enim est eos, qui semel illuminati fuerunt, et gustauerunt donum caeleste, et participes facti sunt spiritus s. v. 5. et qui bonum gustarunt dei verbum, virtutesque futurae aeternitatis, v. 6. iterum renouare ad poenitentiam, crucifigentes sibi ipsis filium illum dei, et publicae ignominiae exemplum facientes.

### §. III.

Haec Apostoli verba ut distinctoriter intelligamus, ante omnia monstrandus est eorum cum praecedentibus nexus, indicatur is per coniunctionem caussalem γὰρ, quae formaliter ac communiter notat *enim*, et declarat, quod praecedentium quaedam proferatur ratio. Haec huius particulae vis formalis secundum bonae interpretationis regulas hic negligenda haud est, cum

A 2

nulla